



**R. P. Christophori Gillii, Ex Brigantio Lvsitaniæ, Societatis
Iesv, Et in Conimbricensi Academia S. Theologiae
Professoris; Commentationvm Theologicarvm De Sacra
Doctrina, Et Essentia atque vnitata ...**

Gil, Christovão

Coloniae Agrippinae, 1610

Cviuscunq[ue] potentiæ operatio ab intellectu regulabilis, & à voluntate
imperata est praxis. Cap. 1.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82291](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82291)

Cuiuscunque potentia operatio ab intellectu regulabilis, & à voluntate imperata, est praxis.

CAPVT I.

I.

IN quavis scientia duo interuenire solent ex parte scientis, nempe habitus, & actus, actus verò necessario habet habitudinem ad obiectum, ad finem autem non necessario, sed iuxta naturam specificam singularum scientiarum; ita vt actus sciendi in commune ex sua propria ratione formali, non necessario habeat annexam habitudinem ad finem; Deus enim verè scit, nec tamen actualis eius notitia necessario respicit vllum finem sui: actus enim, qui finem habet, causam quoque efficientem habeat oportet; at actualis scientia Dei, est Deus expers omnino causæ efficientis: & proinde sicut non fit ab vlla causa; ita neque est ob vllum finem. Cum verò vt docent Philosophi habitus sumant speciem ab actibus in ordine ad obiecta, de actibus est prius agendum, cognita namque natura actus practici & speculatiui, faciliè dignoscitur habituum natura. Quia verò speculatiuum definitur per negationem practici, huius primum explicanda natura est. Porro cum notitiæ practicae obiectum sit praxis, de hac imprimis dicam: cognita enim praxi, à qua tanquam à proprio obiecto scientia practica sumit speciem, & distinctionem ab speculatiua, facili negotio innotescet natura practicae, & discrimen ab speculatiua.

II.

Praxis imprimis debet esse actio naturalis intellectualis: nam quæ ratione carent, nec propriè dicuntur agere, sed agi ab obiecto: nec sunt capaces notitiæ practicae, quæ est opus rationis: quare non probor quorundam recentiorum sententiam concedentium sensibus internis rationem iudicij practici; in contrarium enim est manifesta authoritas Aristotel. lib. 6. Ethico. cap. 2. vbi actionis principia inuestigans, cum tria in anima numerasset, sensum, intellectum, & appetitum, subdit, *sed ex his sensus nullius principium actionis est: id quod perspicuum est, ex eo quod bestia sensum cum habeat, actionis participes minime sunt.* Idem docet lib. 1. magnor. moral. cap. 12. Itaque praxis non est, vbi mens & ratio non est. Neq; verò omnes intellectricis naturæ operationes sunt praxes, sed quæ à poten-

Aristot.

tij vitalibus eduntur, nam operationes hominis, quas efficit, quatenus conuenit cum elementis, & rebus alijs vitæ expertibus secundum primas qualitates, praxes nequaquam sunt. Hoc tanquam fundamento præmisso dicam deinde hoc cap. vtrum omnium potentiarum vitalium operationes sint praxes, sequente verò quæ conditiones ad rationem praxis requirantur.

Ex potentijs vitalibus primus est intellectus: cuius actiones à ratione praxis excludit Scot. quæstion. 4. prologi §. *De co igitur primo*; nam definiens praxim, quasi loco generis, *praxis*, inquit, *est actus alterius potentia, quam intellectus.* Idem sentiunt Durand. quæstion. 6. prolog. num. 5. & 19. Bassol. quæst. 7. artic. 1. in prima conditione. Mayron. in 1. dist. 48. quæst. 2. artic. 1. part. 1. difficultate 2. Alphonsus de Toledo quæst. 9. prologi art. 1. Scot. quæstion. 4. proem. Logicae. Antonius Andreas, Petrus de Aquilla, Franciscus Lychet, Ioannes Viguierius, & ceteri Scotistæ quæst. 4. prologi, & lauell. 1. part. quæst. 1. artic. 4. probat autem Scot. primam illam partem suæ definitionis ex illo dicto Aristotel. in 3. anima. text. 49. *intellectus extensione fit practicus.* Nam si intellectus non aliter quam extensione est practicus, profectò consideratus secundum proprias operationes non est practicus: extendi enim non dicitur, nisi quædo dilatatur, & quasi extra se trahitur ad operationes aliarum potentiarum, quia intra latitudinem sui obiecti non continetur aliquid immediatè terminans praxim. Si quis verò respondeat extensionem posse quoque fieri ad actus ipsius intellectus, ita vt per vnum actum dirigentem extendatur ad eum, qui à priore dirigitur, respondet non propterea secundum esse praxim ad modum, quo in practiciarum loquimur, neque primum cognitionem practicam, quoniam sequeretur Logicam esse practicam; neque aliam rationem assignat: probat autem Toletan. quia ab speculatione non potest dici scientia practica; diceretur autem si praxis sit actus intellectus: quia à praxi desumitur ratio scientiæ practicae, & sapè accidit, vt speculatio cadat sub electionem voluntatis, & directione intellectus. Quidam recentiores existimant Scotum non ita negare operationes intellectus esse praxes, quasi nolit ipsas, cum liberè imperantur à voluntate, habere rationem praxeos, nam hoc, inquit, non negaret. Verum Scot. omnem prorsus actionem intellectus negat esse praxim, siue

fiat

fiat ex electione voluntatis, siue non; nam ipse sibi opponit hanc ipsam rationem, & soluit.

IV.

Thom.

Heruæ.

Aureol.

Gabriel.

Ocham.

Bachon.

Gregor.

Marfil.

Capreol.

Syluest.

Hispalens.

Bonettus.

Nihilominus dicendum eam conditionem minimè requiri ad rationem praxis, atque adeò actus etiam intellectus ab antecedente notitia regulabiles, habere posse rationem praxis. Hæc est sententia D. Thomæ 2.2. quæstion. 47. artic. 2. ad 2. & aliorum, qui sententiam Scoti ex professo impugnant. Heruæ. quodlib. 1. artic. 1. quæstion. 3. ad dub. 3. ex secundo loco positus. Aureol. quæst. 3. prologi artic. 1. dum impugnat sextam opinionem, & artic. 2. Gabriel quæst. 10. art. 1. Mayron. quæst. 6. Ocham. quæst. 4. principali & 10. in ordine lit. D. Ioannes Bachon quæst. 4. prologi art. 2. Gregor. quæst. 5. prologi artic. 1. Marfil. quæst. 3. artic. 2. Capreol. quæst. 2. artic. 1. conclusionem 4. & art. 2. ad argumenta Gregorij contra 4. conclusionem. Syluest. 1. part. conflati quæst. 1. artic. 1. Hispalens. quæst. 2. prologi art. 3. notab. 4. & Nicolaus Bonettus lib. 2. met. cap. 4. fundamentum est, quoniam conditio illa ad libitum fingitur ab Scoto, absque auctoritate Aristotelis, aut vllius antiquorum, à quibus deriuata est diuisio, ac notio practici, & speculatiui. Deindè etiam est contra rationem; quandoquidem, si ratio practici, vt ipsemet admittit, consistit præcipuè in ratione regulandi, siue mensurandi, saltem aptitudinaliter, & praxis in eo quod sit actio regulata, fieri poterit vt sit aliqua notitia intellectiua, quæ non sit practica, aut speculatiua; nimirum illa, quæ fuerit directiua actuum intellectus: qualis est ea pars prudentiæ, quæ est mensura studiorum: hæc enim propriè est mensura actuum studendi, qui maximè ad intellectum pertinent: nam similes notitiæ, cum contentæ non sint, sola obiecti speculatione, sed vltèrius dirigantur ad operationes, quas dirigunt, nequeunt esse speculatiuæ: quoniam verò dirigunt operationes intellectus, quæ non sunt praxes de sententia Scoti, non erunt practica; quando verò diuisio fit, per oppositas differentias secundum affirmationem, & negationem, vt idemmet vult. esse diuisionem scientiæ in practicam, & speculatiuam, debet adæquare diuisum, ita vt nihil, sub illo contentum maneat extrà alterutrum, ex membris diuisionis. Deindè omnis actus imperatus à voluntate est praxis: aliqua intellectio est actus à voluntate imperatus: ergò est praxis. Respondet non se qui determinatè, quod sit praxis; sed vel praxis, vel practica: Ego verò interrogo

ratione cuius partis sit cōsequens verum, si ratione prioris habetur intentum, nempe aliquem actum intellectus esse praxim; si ratione posterioris sequitur nullum actum speculandi posse imperari à voluntate, quod falsum esse experientia docet; homines enim liberè se applicant studio, & humanarum, diuinarumque rerum cōtemplationi: ideoq; studendo merentur, vt colligitur ex sententia illa D. Gregor. lib. 6. Moral. cap. 5. super illa verba: *Nihil interea sine causa sit nonnunquam studiosus tarditate intelligentiæ premitur, vt eo maiora præmia retributiōis inueniat, quo magis in studio inuentiōis elaborat*: quare cum actus ipse cōtemplationis sit frequenter liber, & imperatus à voluntate, nō sit autem notitia practica, vt per se patet, necessariò erit praxis de sententia ipsiusmet Scoti, qui actum omnem à voluntate imperatum, concedit esse, vel praxim, vel practicum. Quod argumentum videns Lychetus ibidem docet fortè non debere intelligi Scot. de omni cognitione imperata, sed de illa, quæ apta est extendi ad praxim: vt quando voluntas imperat intellectui, vt quærat media ad aliquem finem; sed non est ad mentem Scoti, qui vniuersaliter respondet argumento, ex eo quod sit intellectio imperata, non sequi, quod determinatè sit praxis, sed vel praxis, vel practica. Vnde patet non satisfacere Lychetum argumento, quod ibi proponit; nempe quod multæ intellectiones possunt esse bonæ, vel malæ moraliter imperatæ, ac proindè praxes: respondet enim, si illæ cognitiones sint de fine, vel de his, quæ sunt ad finem, esse verè directiuas in praxim, ac proindè magis esse practicas, quam praxes: non inquam satisfacit, quia potest, operatio intellectus bona esse imperata à voluntate, quæ non versetur circa finem, vel medium à se distinctum vt patet.

D. Gregor.

Lychet.

V.

Scot.

Aristot.

Ad dictum verò, quod communiter refertur ex Aristotele, respondetur cum ipsomet Scoto q. 5. prologi §. *Ad rationes*, Aristotelem nunquam dixisse intellectum extensione fieri practicum: sed cum lib. 3. de anima à tex. 40. inquireret primam causam motus localis text. 46. asserit non esse intellectum speculatiuum, vt per se patet: neque practicum, nisi adsit motus appetitus. tex. autem 49. ait intellectum practicum differre à speculatiuo fine, & quoniam omnis appetitus est propter finem, finis hoc ipso est principium actiui intellectus, & consequenter actionis quæ regulatur ab illo. Ex quibus omnibus solum colligitur habitus, vel actus intellectus

eo solum esse practicos, quo dirigunt ad actionem aliquam propter finem: ex quo non sequitur solum in ordine ad operationes aliarum potentiarum esse practicos, cum etiam dirigi possint ad alias operationes eiusdem intellectus, quae regulentur, & ideo habere possint rationem praxis. Secundum argumentum tangit difficultatem dialecticam potius, quam Theologicam, quae pro utraque parte habet assertores iuxta varios modos explicandi obiectum Dialecticæ. Quod enim Logica sit habitus speculatiuus docent præter Scotum loco citato, & Scotistas ibidem, Heruæus ubi supra ad dub. 1. & 3. circa conclusionem. Bassol. ubi supra. Mayron. quæst. cita. artic. 2. difficultate 1. Argentin. quæstion. 4. prologi articul. 4. Capreol. quæstion. 2. articul. 2. ad Argumenta Aureoli contra 4. conclusionem. Ioannes de Bachone quæstion. 2. ar. 2. §. *Est ergo*. Et Hispalens. quæst. 2. artic. 4. ad argumenta contra tertiam conclusionem. Ego verò, sicut existimo præcepta Dialecticæ esse regulatiua actionum intellectus, quoad modos differendi; ita etiam cum Aureolo quæst. 3. prologi articul. 2. Ochoa. quæst. 11. Corollar. 2. 4. conclusionis Gregor. q. 5. ar. 1. ad argumenta Scoti & Gabriel. q. 11. ar. 2. post 5. conclusionem, & alijs, credo esse practicam, & ad argumentum admitto sequelam: neque vllum est absurdum id asserere. Vt fusè probat Petrus Fonseca lib. 2. Met. cap. 3. quæstion. 2. Ad argumentum Toletani, responderetur, ab speculatione ut elicitur, non posse habitum dici practicum, posse tamen ab eadem ut imperata, & mensurata, per antecedentem notitiam. Ego verò non assero speculationem dare denominationem practici habitui à quo elicitur, sed illi, qui inclinatur ad notitiam præscribentem modum, ac normam ipsi speculationi.

VI.

Bachonius.

Oppositam omnino sententiam tenuit Ioannes Bachonius quæstio. 4. prologi. articul. 2. §. 1. contendit enim praxim esse solam operationem intellectus. Fundamentum eius est, quoniam sicut speculatio est operatio habitus speculatiui, ita etiam praxis est operatio habitus practici: operatio verò est in eadem potentia, cui inest habitus, à quo procedit: quare cum habitus practici sint in solo intellectu, sola eius operatio erit praxis. Opposita tamen sententia est communis, ut constabit inferius, ideoque tenenda. Deceptus tamen est Bachonius æquiocatione, vel ignorance, quid nominis *praxeos*, putans significare operationem im-

mediate elicitam ab habitu practico; quo sensu rectè sentit. Verum Doctores communiter statuunt discrimen inter notitiam practicam, & praxim, ita, ut notitia practica, sit actus elicitus immediate ab habitu practico, praxis verò sit operatio ab eadem notitia regulata.

Post intellectum sequitur voluntas, cuius actus esse praxes sentiunt communiter Doctores; quoniam hi sunt, qui à notitia intellectus practica regulantur. Quidam tamen apud Scotum quæstion. 5. prologi §. 3. *Via*, existimant volitionem non esse propriè praxim, sed actum illa posteriorem; vel si volitio est praxis, non esse nisi in ordine ad aliquem actum ab ipsa imperatum exequendum, per appetitum sensitium, vel potentiam motiuam; quam opinionem aliqui Scotistæ tribuunt Heruæo quodlib. 1. quæstion. 3. Verum ille non est in illa sententia, quæ vniuersaliter negat omnem actum à voluntate elicatum esse praxim: quamvis enim dicat actus elicitos non esse praxim, sed imperatos, non loquitur de actibus voluntatis, sed de actibus elicitis ab habitu practico, quod merito negat esse praxes, quia ipsi non sunt operationes regulatæ, sed regulæ operationum. Fundamentum habet hæc sententia in auctoritate Philosophi, & Eustratii, quorum ille lib. 6. Ethic. c. 2. ait, *electio igitur actionis principium est, unde est motus*. Vbi Eustratius inquit, *motus autem ille, & impetus ad actum, est motus inferioris potentie: ille autem est, quem dicit esse operationem secundum electionem, & per consequens praxim*. Idem commentatur ad principium lib. Ethic. *praxis*, inquit, *est operatio secundum electionem*, nihil est principium sui: ergo si de mète Philosophi electio est principium actionis, siue praxis, & de sententia commentatoris operatio, secundum electionem, fieri inquit, ut electio sit praxis. Deinde praxis est, quæ generatur habitus practicus, is autem gignitur ex actibus, sequentibus electionem, non verò electione ipsa: electio igitur non est praxis. Assumptio ostenditur, si quis enim nunquam actu operatur, ex præceptis Musicæ aut cuiusvis alterius artis practice, nunquam acquireret habitum ipsius per actus voluntatis elicitos, quæ appetit exercitium talis artis.

Hæc sententia, aut intelligi potest absolute de omni prorsus electione, etiam quatenus à scientia morali, & prudentia regulatur, aut solum de actu voluntatis, circa operationes artium; & quidem si hoc secundo modo intelligatur, non caret probabilitate,

vte-

Scot.
Heruæus
Bassol.
Mayron.
Argentin.
Capreolus.

Bachonius.
Hispalens.
Socinas.

Aureol.
Ochoa.
Gregorius
Gabriel

Fonseca.

Scotus.

Heruæus.

Eustratius.
Aristot.

ut enim infra dicam, actus voluntatis circa obiecta artium solum est praxis, quatenus imperat executionem dictaminum artificialium, & ita sublata hac habitudine non retinet nomen, aut rationem praxis: & in hoc sensu negat Hervaeus ubi supra, actum voluntatis esse praxim, si priore modo intelligatur, singularis omnino est, & improbabilis. Oppositam tunc Albert. in sum. tractat. 1. quaest. 3. nu. 3. docens Theologiam esse practicam in ordine ad actus virtutum Theologicarum, & cardinalium infusarum, qui sunt actus voluntatis, item S. Thomas 2. 2. quaest. 47. art. 5. ubi prudentiam docet esse practicam, quia versatur circa agibilia, quae in ipso operante consistunt, & quaest. 16. de malo, art. 8. docet cognitionem, quae aestimatur aliquid eligendum, vel appetendum esse practicam, & ad 11. omnem peruersum appetitum esse cum aliqua falsitate rationis practicae Richard. q. 4. prologi. Scot. qu. 5. art. 1. §. Contra illud & §. Contra hanc conclusionem & Lychet. Vigner, & alij ibidem. Aureol. q. 3. art. 1. dum impugnat 2. 3. & 5. opinionem, & artic. 3. prima propositione. Ocham. q. 10. ar. 1. 2. & 3. Toletan. Gregor. & Bonetius ubi supra, Bassol. q. 7. §. De primo corol. 2. & q. 8. art. 1. §. Contra tertiam viam Mayron. q. 2. cit. art. 1. p. 1. conclusionem 1. & 2. Argentin. q. 4. prologi art. 2. Marfil. q. 3. art. 2. Anton. Andreas qu. 4. Gabriel q. 10. art. 1. & 2. Capreol. q. 2. ar. 1. conclusionem 4. Maior q. 6. Hispanen. ar. 3. cit. Syluest. q. 1. cit. artic. 1. probatur 1. ex Philosopho lib. 6. Ethic. cap. 2. affirmante non esse electionem rectam sine ratione recta: supponitur ergo recta ratio, cui electio confirmari debeat: haec autem recta est per scientiam moralem & dictamina prudentialia circa singularem actum cum his, vel illis circumstantijs, prudentia vero est virtus practica: ergo habet praxim p. obiecto: immediatum vero obiectum ipsius sunt voluntariae electiones circa materias omnium virtutum: electio ergo necessario est praxis. libet autem referre verba Aristot. ut clarius eius sententia appareat, cum moralis virtus habitus electiuus sit, electio vero consultatrix appetitio, propterea oportet, si modo electio proba est, ut & ratio sit vera, & appetitus rectus & eadem, & illa dicat, & hic persequatur. Ecce supponit rationem rectam dictantem appetitui, quod perfectatur, & subdit. Atq; haec cogitatio, seu mens, & veritas actiua est, veritas autem actiua dirigit praxim sequentem: ergo si de Philosophi sententia ratio recta, cui electio conformari debet, est veritas actiua, electio ipsa praxis, siue actio est. Deinde

virtutes omnes morales, sunt ad praxim ordinatae: primus autem actus virtutum moralium, in quo formaliter est bonitas moralis, & a quo deriuatur ad actus reliquarum potentiarum, est actus voluntatis, qui plerumque cum electione coincidit, est enim virtus habitus electiuus, ut docet Philosophus lib. 2. Ethicor. cap. 5. & lib. 6. cap. 2. ergo electio est praeceptum praxis. Tertiò habitus ex iisdem actibus generatur, ad quos inclinatur ex Aristot. lib. 2. Ethicor. cap. 1. & 2. inclinatur autem virtus omnis moralis ad electionem rectam, ut patet ex testimonio Philosophi paulò antè citati, ergo ex eadem gignitur; virtus autem quae habet pro mensura dictamina practica recte rationis, cui confirmari debet, non potest, non inclinare ad praxim: sunt ergo electiones ipsae verae praxes.

Ad auctoritatem Aristotel. Respondetur ex eo loco colligi electionem esse praxim, ut iam paulò antè deduxi, & ex verbis sequentibus post ea, quae in argumento recitata sunt, cernere licet: sic enim habent: electio igitur actionis principium est, unde est metus, non cuius causa, electionis vero appetitus, & ratio quae aliuus causa est. Ex quibus patet Philosophum eo loco nomine actionis non accipere quamuis praxim, sed eam, quae cum motu est, & sic ex imperio voluntatis eligentis; nam ibidem admittit electionis ipsius causam esse appetitum rectum, & rationem, siue representationem finis, sub ratione boni, & amplectendi, quam paulò antè veritatem actiuam appellauit. Et hanc acceptionem praxis strictissimam cum alijs tradit Eustratius lib. 1. Ethicor. ut ex ipso refert Ocham. Gregor. Gabriel, & Marfil. locis citat. in qua utrunque eo loco 6. Ethicor. loqui colligitur, ex ipso contextu. Duobus alijs modis interpretatur dictum Commentatoris Scot. citat. ad 3. sed praedicta expositio est secundum ipsius sensum; Quod attinet ad rationem, Maior propositio non est absolute vera: etenim scientia moralis, & prudentia sunt habitus practici, nec tamen perfecte acquiruntur, aut perficiuntur actibus, qui sunt praxes; sed proprijs actibus scientiae, ac prudentiae, qui praxes nequaquam sunt, sed iudicia practica; si vero nomine habituum practicum intelligantur, non habitus ipsi scientiae practicae, sed habitus virtutum, à quibus eliciuntur actiones studiosae, quae sunt verae praxes regulatae per dictamina notitia practicae, vera est propositio, sed assumptio

IX.
Aristot.

Eustratius
Ocham.
Gregor.
Gabriel
Marfil.

falsa;

italia; per ipsas enim electiones studiosas acquiruntur, atque augentur habitus, virtutum moralium: quanuis enim ad id maxime conducatur ipsummet exercitium circa propriam materiam per actiones externas a voluntate imperatas, propter causas assignari solitas in materia de virtutibus moralibus, actiones tamen, quibus per se, ac proprie habitus ipsi acquiruntur, & augentur, sunt electiones ipse voluntatis: confirmatio vero ab exemplo musicae petita non est ad rem: non enim in voluntate est vllus habitus circa musicam, neque eius actus ratione musicae habent proprie ratione praxis; nisi quatenus applicans potentias ad cantum, vel harmoniam edendam.

X.
Henricus
Varro.
Toletan.
Argentin.

Posita vero communi sententia, quae asserit actus voluntatis elictos esse praxim, restat videndum, vtrum omnes, an aliqui? Henric. 1. par. sum. art. 8. q. 3. ad 3. & Varro lib. 1. quaest. 4. apud Scotum qu. 5. prolog. art. 1. §. *Secunda via*. Toletan. q. 9. art. 1. & 2. conclusionem 1. & art. 4. ad argumenta contra primam conclusionem, & Argentin. q. 4. art. 2. existimant solas elictioes esse praxes, intentionem vero finis nequaquam. Fundamentum Henrici est, quoniam actus voluntatis circa finem non indiget directiuo, sed sola ostensione intellectus: haec autem non opus est vt sit practica, sed sufficit speculatiua, qua proponatur voluntati obiectum perfecte, & clare cognitum; ex hac enim sola cognitione, absque alio praeiudicio dictamine, vel regula dirigente, voluntas fertur in obiectum operationis perfectae, absque discursu, & deliberatione: ideoque operatio huiusmodi non est censenda praxis. Fundamentum Varronis est, quoniam praxis est solum circa contingentia, finis autem non est aliquid contingens, sed solum ea, quae sunt ad finem. Prior pars huius fundamenti probatur ex Aristot. lib. 3. de anima text. 51. asserente practicum esse circa contingens, & lib. 6. Eth. cap. 4. vbi inquit, artem esse eorum quae esse, & non esse possunt. Et ex Eustratio lib. 1. Eth. existimante praxim esse operationem secundum electionem: porro electio non est nisi circa contingens ex lib. 3. Eth. cap. 2. & 3. est enim appetitus consiliatiuus, consilium autem solum est de ijs, quae in nostra sunt potestate, & in alterutram partem euenire possunt: quare cum circa finem non sit electio, sed intentio, & circa finem nemo erret, est enim bonum, quod omnia appetunt, necessario sequitur, vt appetitio finis non sit praxis, sed sola electio mediorum, circa quae contingit error; Cuius vitadi gratia requiritur consilium, & directio intellectus.

Aristot.
Eustratius.

Communis tamen sententia est praxim extendi ad omnem actionem voluntatis, tam circa finem, quam circa media. Ita expressè docet Durand. qu. 6. prologi nu. 22. Heruæus, quod lib. 1. q. 3. art. 1. dub. 3. Scot. in prologo quaest. cit. §. *Contra hoc* & §. *contra hanc conclusionem*: cum Lycheto & alijs interpretibus ibidem, Aureol. vbi supra, Bassolis qu. 8. art. 1. §. *Contra primam* & seq. Maior. q. 6. Ocham. q. 10. cit. a. 1. & 2. Mayron. in 1. d. 48. q. 2. art. 1. conclus. 3. Gregor. q. 5. prolog. art. 1. Marfil. q. 3. art. 2. Aquilanus q. 4. ar. 4. Gabriel q. 10. art. 1. & 2. Practicae rationes Scoti sunt haec. Ad idem genus pertinent principia, & conclusiones: cognitio autem finis est directiua actuum humanorum circa ea, quae sunt ad finem, neque, vt ait Aristot. lib. 2. Phys. t. 89. ita se habet finis in agibilibus, vt principium in speculabilibus; ergo si cognitio eorum, quae sunt ad finem, est cognitio conclusionum practicarum, cognitio finis est cognitio practica, quoniam est de principio practico. Vt aut vis huius rationis eluceat, oportet aduertere id, quod Logici docent, nimirum in notitia distincta, siue definitione subiecti contineri virtute principia omnia, per quae fieri debent demonstrationes, de proprietatibus eiusdem subiecti, ita vt omnis tandem scientia resoluenda sit ad eam definitionem, tanquam ad primum principium incomplezum: quemadmodum vero se habet subiectum in speculabilibus, ita finis in operabilibus, & cognitio eius distincta continet eminenter omnia dictamina practica circa operationes, quibus ad ipsum itur, vt colligitur ex Aristot. lib. 6. Eth. cap. 2. illis verbis: *electio igitur actionis principium est, unde est motus, non cuius causa, electio vero appetitus est ratio, quae alicuius causa est*. Ad quem locum D. Thomas ait, quod ratio proponens finem, & ex eo procedens ad rationandum, & appetitus tendens in finem comparatur ad electionem per modum causae; itaque ipsa ratio finis est causa omnium, quae sequuntur: quod multo euidentius asseuerat Aristot. eodem cap. cum enim dixisset ad electionem rectam requiri appetitum rectum, nempe finis in ordine ad quem sumitur regula prudentiae, & rationem rectam, hoc est, notitiam ipsius finis, sub ratione boni amabilis, nam dicit id sequi appetitum, de quo ibi loquitur, nempe finis, quod ratio dicat, nempe representatio eiusdem finis subdit, *atque haec cogitatio seu mens, & veritas actiua est*: cogitatio ergo finis, vt ratio recta proponens voluntati, quid amplecti debeat, est veritas actiua, seu practica: ergo intentio finis, quae ab ea procedit, est praxis & ita distin-

XI.

Durand.
Heruæus
Scot.
Lychet.
Aureol.
Bassolis
Maior.
Ocham.
Mayron.
Gregor.
Marfil.
Aquilanus
Gabriel
Aristot.

Aristot.

S. Thom.

distincta cognitio finis, proximè atq; immediate continet prima principia practica circa ipsum finem: V.g. notitia distincta Dei continet hoc dictamen: Deus est diligendus: hoc autem principium dirigit aliquam praxim non nisi intentionem, & amorem finis ipsius: ergò necessariò fatendum est finis amorem, non excludi, à ratione praxis. Secunda, Quamuis non possit voluntas errare circa finem, & bonum in commune, potest tamen circa bonum, & finem in particulari, & circumstantias actus, quo finis appetitur, sed omnis actus, in quo reperitur error, & defectus, indiget regula dirigente, cui confirmari debeat: ergò etiam appetitio finis indiget eiusmodi regula, & consequenter praxis appellanda est: Ex quo patet solutio ad vtrumq; fundamentum oppositæ sententiæ: Ad primum, quoniam finis in particulari non semper ita clare, ac distinctè ostenditur intellectui, vt sola ostensio ipsius satis sit ad appetitum rectum, tum circa ipsum, tum quoad actionis circumstantias. Ad secundum, quoniam appetitio finis in particulari cum singulis circumstantijs, quæ reddunt actionem studiosam, non necessaria, sed contingens est. Porro quando Eultrat. praxim dicit operationem secundum electionem, nomine praxis solas actiones imperatas à voluntate intelligit: & ita quemadmodum ex ea auctoritate non colligi debet ipsam electionem non esse praxim, vt sonare videtur, quando quidem electio ipsa non est secundum electionem: ita etiam non colligitur nequaquam esse praxim appetitionem finis, quando habetur, libere, & conformiter ad rectam rationem.

amorem, per modum dirigentis, ac regulantis, sed solum per modum representantis obiectum bonum & amabile, quod fat non est ad rationem notitiæ practicæ, vt dicam cap. 4. ex quo etiam fundamento soluitur argumentum Marfilij. Dilectio enim ita est praxis, vt tamen per se contineatur intra limites vitæ contemplatiuæ: nam actiua, quatenus ab ea distinguitur, non extenditur ad omne genus praxis, sed præcipuè ad eas, quæ prodeunt in externam materiam.

Postquam de actibus intellectus, & voluntatis dictum est, sequitur, vt ad alias potentias veniamus. Et quidem actus illarum, quæ non subiacent regulis rectæ rationis, & arbitrio voluntatis, non esse praxes manifestum est, vt capite sequente ostendam. Inter eas autem, quæ à voluntate imperantur, & intellectu diriguntur, quædam sunt notitiæ sensitiuæ, vel ad intellectuam gignendam inferuiunt: quædam alterius generis. Priores à ratione praxis excludit Bassol. quæst. 7. prologi §. De primo. siquidem in secunda conditione praxis requirit, vt sit operatio alterius generis à cognitione, in tertia verò, vt non sit ex se ordinata ad generandam notitiam, & idcirco expresse negat cognitionem sensitiuam, & sermonem esse praxes dirigibiles per notitias practicas. Cuius sententiæ non assignat vllum fundamentum, sed absolute conditiones illas requirit. Potest tamen probari ex eo, quod eiusmodi operationes non sunt propter finem à cognitione distinctum, quod requiritur ad praxim.

Dico tamen, operationes omnes à voluntate imperatæ, & intellectu regulatæ sunt praxes, siue sint notitiæ sensitiuæ, siue non, siue per se dirigantur ad gignendam notitiam intellectus, siue non. Ita vniuersaliter docent Mayron. quæst. 2. prologi artic. 1. part. 1. conclus. 2. Ocham. quæst. 10. artic. 1. & 2. Gregor. quæst. 5. artic. 1. Marfil. quæst. 3. artic. 2. Gabriel quæst. 10. art. 1. & 2. Capreol. quæst. 2. artic. 1. conclus. 4. Maior. quæst. 6. Syluest. vbi supra, & expresse actus potentiarum cognoscitiuarum, quatenus subiacent directioni, esse praxes docet Scot. quæst. 4. §. dico igitur primo, circa secundam conditionem praxis cum Lycheto ibidem, Gabriel, Maior & Hispalens. vbi proximè. Fundamentum est, quoniam actus virtutum moralium, magna ex parte consistunt in appetitu sensitiuo, & operationibus externis, actus verò virtutum esse pra-

XIII.

XIV.

Mayron.
Ocham.Gregorius
Gabriel
Capreolus.
Maior.
Syluest.

Scotus.

Lychet.
Gabriel
Maior.
Hispalens.

xes constat, quoniam prudentia, quæ eas dirigit est habitus practicus, vt constat ex Aristotele 6. Ethicor. cap. 5. qui eam definit habitum cum ratione vera, actuum circa ea, quæ & bona, & mala homini sunt. In particulari verò quoad operationes sensitiuas, & eas, quæ ad notitiam intellectus referuntur, suadet eadem ratione, qua probatum est operationes intellectus posse esse praxes, quandoquidem conditio illa liberè, & sine fundamento adhibetur. Deinde verò quia erit aliquod iudicium intellectus, quod non sit practicum neque speculatiuum, nempe id, quod fuerit regula talium operationum: nam iuxta sententiam oppositam non est practicum: re autem ipsa non est speculatiuum, quia respicit finem distinctum à se ipso, & operationem, cui regulam præscribit. Quod verò attinet ad sermonem facile probatur: tum quia in ipso consistunt plurimæ operationes morales, quæ sunt praxes: tum etiam, quia regulatur ab arte: omnis autem ars est notitia practica, vt constat ex Aristotele lib. 6. Ethicor. cap. 4. Ad rationem verò respondeo, duobus modis habitum esse propter notitiam tanquam propter finem, altero proximè, & immediatè tanquam propter actum, quem elicit: & hoc modo includi, sub ratione speculatiui: altero remotè per actum à se elicitum, qui sit directius alterius operationis, quæ ad cognitionem referatur: & hoc modo excludi à ratione speculatiui, quandoquidem in contemplatione, ad quam inclinatur, non sinit tanquam in fine, sed per eam refertur ad aliquem alium finem extrinsecum per operationem, quam dirigit. Et quia notitia regulans sermonem externum, & cognitiones sensitiuas non conquiscebat in sola perceptione obiecti, sed illud regulando tendit ad vltiorem finem, est practica, quamuis finis ille sit cognitio.

XV.

Adhuc tamen circa huiusmodi operationes dubitatur, vtrum per se sint praxes, an verò solùm per accidens: Et quidem Scot. quæstion. 4. prologi §. Dico igitur primo, negat esse per se praxes: nam in fine definitionis praxis à se tradita tanquam corollarium ex dictis elicit actum à voluntate imperatum non esse primo praxim, sed quasi per accidens: quia non primo natus est elici conformiter rationi rectæ, ideoque requiri alium, nempe actum voluntatis, ratione cuius actus imperatus regulatur, & ma-

net praxis. Eandem opinionem sequitur Mayron. in 1. dist. 48. quæst. 2. artic. 1. conclusi. Ioannes Bassol. quæst. 8. prologi artic. 2. §. 1. Anton. Andreas quæstion. 4. & Marfil. quæst. 3. artic. 2. Quæ sententia suaderi potest, quia operatio ex regula habet, vt sit praxis, ergo quæ primo ac per se regulatur à notitia practica, est propriè, ac per se praxis: quæ verò remotè, & per aliud, erit praxis per accidens.

Quæ sententia, quatenus actiones à voluntate imperatas appellat praxes per accidens, non est tenenda, & illam bene impugnat Heruæ. quod lib. 1. quæstion. 3. artic. 1. dubio secundo ex primo loco positus, & Aureol. quæst. 3. prologi artic. 1. circa sextam opinionem; & opposita sententia est S. Thom. qui 2. 2. quæst. 57. arti. 1. ad 1. præcipuè distinguit practicum ab speculatiuo per ordinem ad opus extremum: distinctio autem fieri debet per id, quod per se intenditur, & nõ per accidens. Idem sentiunt Ocham. & Gabriel in 1. dist. 35. q. 6. quatenus docent operationes Dei ad extra, esse verè praxes, quamuis volitio diuina praxis non sit. Fundamentum huius sententiæ est, quoniam ad rationem praxis per se non requiritur, vt sit primo, hoc est intermedia alia operatione regulata, sed vt sit obiectum per se operabile, quod regula respiciat tanquam operationem completam in suo genere; hoc autem modo se habent operationes externæ regulabiles, per dictamina practica, quorum per se fines sunt. Etenim dictamina hæc naturalia, Deus est colendus, parentes honorandi, ius suum vnique reddendum, vltimò per se referuntur ad ipsa finet operationes à voluntate imperatas, de quibus per se legem præscribunt: quia tamen lex datur voluntati in actu exercito, prius ipsius actus elicit mensurantur, quam imperati, sed vtrique propriè, ac per se, & ideo imperati vendicant propriam rationem praxis. Accedit, quod operationes artificiales sunt propriè praxes, eæ verò sunt imperatæ, non elicite à voluntate: Si verò aliquis respondeat, etiam tunc voluntatem ab arte regulari, quatenus iuxta normas illius applicat potètiās inferiores ad executionem, non soluit argumentum. Nam licet applicatio ipsa, & executio, sit conformis regulis artis, ipsa volitio applicandi potètiās iuxta præscriptas artis leges, non est verè praxis artis, sed desiderium habendæ propriæ praxis, quæ tum demum incipit, cum re ipsa fit, quod ars dicat: quis enim dixerit eum, qui vult vti legibus musice, habere

praxim

Aristot.

Scot.

Mayron.
Bassol.
Anton. And.
Marfil.

Heruæ.

Aureol.

S. Thom.

Ocham.

Gabriel

praxim musicæ, priusquam psallat? & confirmatur aperte, quoniam praxis est immediatum obiectum notitiæ practicæ; at dictamen Musicæ, non est quod voluntas debeat velle hoc, vel illo modo canere, sed quod in cantu seruari debet hæc, vel illa proportio; ideoque propria, & per se praxis respondens dictamini artis non est actus voluntatis elicitus, sed imperatus. Dicit aliquis, idem argumentum posse aptari dictamini practico morali, etenim dictamina naturalia, pleraque sunt de ipsis actibus imperatis. Non occides, Non Mæchaberis, &c. & tamen voluntatis actus circa obiecta huiusmodi dictaminum sunt verè praxes, & eodem modo, quamuis dictamina artis respiciant operationes à voluntate imperatas, tamen actus ipsius voluntatis elicitos, quibus vult operari secundum vel contra regulas artis, verè, ac propriè esse praxes. Verum hac responsione non satis fit argumento: etenim actus voluntatis circa obiecta moralia, sunt id, quod immediatè regulatur à notitia practica: & primo, ac per se est participes rectitudinis, vel deformitatis moralis; ideoque illa ipsa dictamina, quæ primo videntur respicere obiecta externa primo, ac per se regulant voluntatem, vel saltem supponunt dictamen naturale practicum vniuersale, scilicet nihil prohibitum esse appetendum, cui immediatè conformatur, vel difformatur actus voluntatis elicitus circa obiecta externa. At nulla est regula artis per se, atque immediatè regulans actus elicitos voluntatis, sed solum per accidens, & indirectè, quatenus regulat actus aliarum potentiarum, ad quorum executionem requiritur consensus, & applicatio voluntatis. Itaque duo sunt genera actuum voluntatis, alterum, quod completur in ipsa voluntate, nec per se dirigitur ad actum imperatum, vt amor, odium, inuidia, alterum quod dicit ordinem ad actum imperatum, cuius executione perficitur, vt actus temperantiæ, fortitudinis, iustitiæ, & hi sunt in genere moris, cum imperatis, & ex vtriusque resultat vna praxis perfectæ propriè, ac per se.

XVII.

Ad argumentum quod tangit Scot. Respondendo, non quidquid participat rationem aliquam per aliud, esse talem per accidens; fieri enim potest, vt per se illi conueniat esse compotem rationis illius, interuentu alterius: quomodo cælum lunæ mouetur per se, & non per accidens à primo mobili: & tamen mouetur tot medijs instrumentis: ita in motu morali, cuius primum mouens est intellectus practi-

cus, directio rationis per voluntatem communicatur actibus imperatis, per se tamen ita, vt ipsi sint verè, ac propriè obiecta dictaminum rationis rectæ.

Praxis est actio naturæ intellectricis suapte natura contingens, & recta ratione mensurabilis.

C A P V T II.

EX superiore cap. constat, quarum potentiarum operationes sortiri possint rationem praxeos. Nunc dicendum quæ sit natura, & proprietates ipsius. Quoniam verò actio, quæ est summum genus praxis, adæquatè diuiditur in transeuntem, atque immanentem: itemque in factiuam, quæ nimirum post se relinquit aliquod opus, quam Aristotel. appellat ποιητικὴν, & in eam, quæ speciali ratione nomen generis sibi vendicat, & dicitur actio, oportet exquirere sub quo harum diuisionum membro contineatur. Videri autem alicui possit solum posterius membrum secundæ diuisionis constituendum genus praxis, quandoquidem Aristotel. 9. Metaphysic. cap. 9. factionem distinguit ab actione, & huic accommodat nomen praxis: Rursus alius existimabit solum posterius membrum primæ diuisionis esse genus praxis, nempe actionem immanentem, quandoquidem idem Aristotel. lib. 9. Met. cap. 9. praxim appellat solum immanentem, transeuntem verò factiuam.

I.

Aristot.

Nihilominus in definitione praxis nomen actio, quæ subit vicem generis, non debet restringi ad vllum peculiare genus actionis, sed in toto suo ambitu relinqui. Ratio est, quia ex omnibus membris vtriusque diuisionis propositæ, possunt esse praxes, vt discurrenti perspicuum fiet: est autem hæc sententia Aristotel. lib. 6. Ethicor. cap. 3. & 4. vnde diuidit omnes habitus veros intellectus, quorum alij sunt de necessarijs, alij de contingentibus: deinde verò subdit, eius autem quod esse aliter potest, aliud efficiendum, aliud agendum est, diuisum itaque huius diuisionis, quod contraponitur obiecto habituum speculatiuorum, est praxis, quam respicit notitia practica sumpta in tota sua latitudine, prout opponitur notitiæ speculatiuæ: sub hoc autem diuiso, complectitur Aristotel. actionem, & effectiorem: ergo ge-

II.

Aristot.